

Sammelld

1. Bd = voh; Kt 4065

36

+

4

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,
FRIDERICO AVGVSTO,
DE
**GYNÆCOCRATIA
MARITALI,**
Ex Oeconomicis,
Ad Diem XII. April. A. C. M. DCCIV.
H. L. Q. C.
PRÆSES
M. GOTTLIEBUS SCHELGVIGIUS
ET RESPONDENS
NATHANÆL VVOLFFIUS,
Gedanenses,
DISPV TATIONE PRIORI,
different.

VITEMBERGAE,
Prelo CHRISTIANI GERDESII.

STALMAYERIUS, HENDRICUS TRÆGO
LUGDORVM MEDICIS TISSIMO

Санкт-Петербургъ

CHRISTIANA

REVUE FRANÇAISE

GYMNOCRATIA MARIA

MODUS M. DA VENIA MILANO

M. GOTTLOBUS SCHULZIUS
NATURALE AVOLUTUS

PROPRIETATIS

卷之三



C. B. D.

PROLUSIO.

Longus Eruditorum numerus est, qui, ut ingeniorum suorum dotes Literato Orbi probarent, de rebus seminarum differere, negotium omni laude majus esse existimarunt. Sed si eruditos horum foetus paulo altius ac accuratius rimamus, non omnes uno animi affectu, nec pari successu scripsisse constabit. Nonnulli enim duriori, quam decebat, calamo, hoc molle hominum genu strictere, infano quodam in sexum hunc debiliorum furore invehere & debacchari, convitiisque ac contumeliis detestandis proscindere non sunt veriti. Alii vero ne scio qua amoris teneritate occupati, in laudandis feminis, plus effeminate suo affectui indulserunt, quam viro solebat convenire. Ad illorum classem, si veterum Philosophorum monumenta evolvimus, referendus venit Sapientissimus alias *Socrates*, qui feminas comparare solebat cum templo magnifice exstructo, & speciem undique egregiam pra se ferente, sed quod super fundamentum fordidissimum esset aedificatum. Sequitur sinistrum divi *Platonis* de hoc sexu judicium, qui non solum dubius haerebat, an non feminae in bestiarum classem essent referenda? sed & propter tria Diis gratias persolvisse dicitur, inter quae & hoc locum habebat, quod mas non femina natus fuisset. Numerum denique amplificat ipse Philosophorum

A 2

Cory-

Coryphaeus, summus *Aristoteles*, naturam adeo se novercam fēminis exhibuissē fingens, ut illam pro deliquio naturae habeat, & hominem occasionatum expresse profiteatur. L. 4. de generat. animal. c. 6. Quæ, in sexum hunc infirmorem injurie, si ab Ethniciis solum evomerentur, perferenda adhuc essent, & fors hominum inter densissimas veritatis tenebras deploranda veniret; sed hoc magis dolendum est, quod inter ipsos Christianos, quibus DEI voluntas plenior in sacris Pandectis patefacta est, eo vesaniae quidam processerint, ut prorsus feminas ex Societate humana, ad nefcio quæ monstra, quæ prodigia publicis scriptis relegaverint, quod ipsum defendere ausus est impius quidam malefani *Anonymi Libellus*, sub Tit. *Mulier non Homo* 1505. in lucem emissus, postea a *Simone Gedicio*, Theologo, in defens. Sexus Muliebris, Hagæ Com. 1644. in 12. viriliter enervatus. Horum contra, qui plus æquo laudes seminarum ebuccinarunt, titulum merentur, qui assērere non dubitarunt, sexum hunc fēgiorem, virili quoad dotes naturae vel æquiparandum esse, quod statuebat *Willib. Ignatius Schüz*, Cancellarius Fuldensis, in Lib. cui Tit. fecit: *Chren.-Preiß des töblichen Frauen-Zimmers* / Francof. 1663. cuius scripti contenta in compendio exhibuit *Jac. Thomasius* in Præfat. n. LXXI. p. 450. sq. vel, quod majus virtutum est, eidem preferendum, quæ fententia arrisit *Hevr. Corn. Agrippa*, in Orat. de Nobilit. & Preccellent. Femim. Sexus, quæ cum ejusd. variis Tractat. Theolog. & 2. Eraſm. Epist. Colon. 1530. 8vo prod. ib. recusa 1532. & inter Opp. Tom. II. habetur. Idem hoc quamvis *Anna Maria Schurmannia*, Virgo Batava doctissima in dissert. quam vid. inter Opp. a *Fr. Spanhemio*, Lugd. Bat. 1648. ed. & Traject. 1652. rec. sexui suo adscribere allaboret, amori tamen proprio & affectibus magis indulsiſſe, quam veritati studiſſe judicandum est; sed hoc magis in admirationem venit, quod teste *Dn. D. Jo. Chrif. Beccmanno*, dissert. de Prærogat. c. 2. Scriptor quidam Italus, *Spero Speronius*, Patavini Gymnas. quondam Philos. Prof. 1588. defunctus, in dialogo quodam Italico Venet. 1550. 8vo de Dignit. Fem. conscripto, easdem animalia plus quam rationalia esse dictitaverit. Immo denique non a vero aberrarem, si in hunc numerum etiam illos reducerem, qui

qui nescio qua veritatis specie, contra omnem S. Codicis autoritatem, publice docendi in Ecclesia Libertatem mulierculis concedere non erubuerunt; quod ipsum magno conatu illud tremulum inter Batavos Fanaticorum genus, ex eoque speciatim. M. F. in Sermocinatione Femin. iustificata, & Peter Henrichs in Responso ad Jo. Reinh. Hermannum, afferuerunt, cuius Henrici uxor Elisabetha, tanti inter Quackeros habebatur, ut cum alia feminis Constantinopolim ad Imperat. Turc. ire, cum que eo de veritate colloqui adigeretur. Extant hujus mulieris Epistole sub Tit. Luminis Christi, cum praemissa vita Amstel. 1684. 8vo evulgata. Vid. hac de re Schelviggii Quack. Confut. P. I. Art. I. p. 157. edit. Ged. 1696. 4to. Hos autem inter Detractatores & Buccinatores femininei sexus medium beati tenuerunt, qui ab omni adulatio[n]e & criminandi libidine remoti, soli veritati operam dederunt; quo nomine illos demum dignos astimamus, qui ex Viris laude nostra majoribus, quid vel feminæ in Rempubl. bello togaque meritæ sint, vel in eruditionem, demonstrarunt, exemplisque illustribus firmarunt; qui sexum hunc ab opprobriis & calumnias Detractatorum liberarunt, nec non denique, qui de his scripserunt, quæ sexui debiliori non conveniunt, & ab aliis nullo jure eidem sunt adscripta & concessa. Verlan[t]ur itaque in Literariorum manibus Aloysii Dardani, Cancell. Illustr. Senatus Veneti Defensio mulierum adversus Accusat. Venet. 1554. 8vo. IX. Seminarum ex antiquitate nobilium Carmina e Bibliotheca Fulvii Urfini Antyverp. 1568. 8vo ap. Plantinum edita. Egid. Menegii, Historia Mulierum Philosopherum, Lugd. 1690. 8vo cuius recensio fit in Act. Erud. Lips. 1691. p. 535. D. Jo. Erbergii, Græc. Lit. Prof. disp. ejusd. argumenti, Upsal. 1699. hab. Jo. Frontonis, dissert. de Virginitate erudita. Parif. 1651. 4to. Job. Boccattii, Historia de claris Mulieribus, quæ apud veteres gentiles aut virtutibus inclarerunt, 1473. fol. Galliæ 1493. fol. & Bernæ 1539. 12mo. Jac. Thomahu, disp. aliquot de Seminarum Erudit. Lipsiæ & Jo. Paschii, Gynecæum doctum Viteberg. 1681. hab. recus. ib. 1701. & quæ supplementum harum Dissertat. debet esse Christ. Junckeri, Centuria Fem. scriptis illustrium, Schediasm. de Diariis Erud. annexa. Lips. 1692. 12mo.

M. Dav. Schulteti, disp. 2. de Fem. prima ætate illustr. Viteb. 1703.
hab. Petri le Moigne, Libellus cui rubrum: La Galerie des Femmes fortes, Paris. 1663. immo. M. Jo. Jac. Häßleri, disp. de Fem. fortitudine sagata claris Lips. 1695. Reinh. König, & Jac. Thomasi, disp. de Gynæcocratia Polit. Gießæ 1612. & Lips. hab. in quibus civile seminarum Imperium approbant; & qui deum Catalogos Regnorum, quæ muliebre imperium passa fuisse constat, consignarunt. Sed vela præfandi longe expansa, contrahenda fuit, & sufficiat hæc adhuc addidisse, quod cogitantibus nobis de idoneo Academicæ disquisitionis arguento, commode se nobis hæc Eruditæ Reipubl. monumenta obtulerint, ansamque suppeditarint, ut horum Autorum vestigia licet non æquis passibus sequi tentaremus, ex quo tandem præsens enata est tenuissima dissertatio, quam B. L. judicio cum summa animi modestia jam offerimus. Agit illa de Imperio, quod Marito in rebus Oeconomicis in uxorem competit, adeoque de arguento ad sexum femininum spectante. Quamvis vero hoc labore id promerituros apud Senatum Seminarum nostri temporis non considamus nec optemus, ut scilicet vita aliquando defunsti, seminarum humeris ad sepulturæ locum adhibitis næniisque insuper & complorationibus maximis deducaremur, quod Sec. XIV. laudum feminarum cuidam Buccinatori, Henrico Frauental, dicto accidisse legimus, veritatis tamen amore capti a proposito desistere nolumus, dulcius esse existimantes, inter vivos molli pollere in uxores imperio, quam jure hoc cedere, & mollibus humeris ad mortuos deportari. Quod autem Diatriben hanc, rubro Gynæcocratiz a Græcis commoda to indicere nobis placuerit, ratio hæc in promptu est, tum quia apud nonnullas gentes exteras imperandi inter conjuges licentiam in manibus seminarum fuisse ex Historia edocentur; deinde quotidiana experientia, rerum omnium Magistra confirmet, feminas plurimas tanta ambitione efferri, ut hoc maritorum jus affectare, immo dolo & vi in se transferre non dubitent; denique inter ipsos Maritos quosdam inveniri videamus, adeo mollitie obrutos, & amore cœcutientes, ut juri suo in gratiam uxoris cedere non pudeat, aut socordia quadam eripi fibi

sibi patientur. Methodum, quam adhibituri sumus, quod ultimo attinet, accommodavimus eandem tempori, & cum hodie divina Mathesis, & quæ hanc nobilissimam scientiam sapiunt, applausum apud omnes Eruditiores facile mereantur, nostrum quoque argumentum, evidenti, distincto & facilis Geometram ordine ac methodo, per Definitiones, Axiomata & Propositiones pertractabimus, cum hac certissima spe, quod si ipsa Dissertatio desiderio omnium non satisfaciet, favorem tamen methodo sua e blanditur. Faxit Divinum Numen ut conatus isti, haud infelices successus experiantur!

DEFIN. I.

Societas maritalis est Societas simplex maris & feminæ ad procreationem sobolis & mutuum adjutorium reciproco consensu ac indissolubili- ter conjunctorum, a natura constituta & impe- rio maritali divinitus instructa.

SCHOLION.

§. I.

CUm propositum nostrum sit de Gynaecocratia ma-
ritali hac vice differere, ad meliorem instituti nostri
perceptionem facturum esse judicavimus, si de societate
maritali quædam præfaremur, utpote quæ hac imperandi
in domo facultate, quam feminis denegaturi sumus, ceu
fundamento suo superstruitur.

§. II. Aliis per placet quidem hanc inter domesticos & naturales primam maximeque eminentem societatem titulo Conjugalis, ut JO. HENR. ALTSTEDIO, (a.) a forma ejus; aut Nuptialis, ut JO. FR. HORNIO, (b.) BALTH. CELLARIO (c.) & JAC. THOMASIO, (d.) a nuptiis quibus illa consummatur insignire; sed nullus

(a) In Encyclop. System. Oeconom. I. c. 4. (b) L. i. de Civit.
c. i. (c) Tab. Polit. II. (d) Tab. XXIV.

nullus dubito, quin nostra denominandi ratio scopo nostro maxime conveniens, cum illorum sententia optime posuit conciliari, si profiteamur, nobis cum PETRO OELHAFIO (e.) & Dn. AD. RECHENBERG (f.) Maritalem eandem dici, quia maritus primarium ejusdem est subjectum, ceu cui & imperandi & gubernandi officium incumbit; eodem modo, quo paterna & herili societas a digniore Persona denominationem suam sortita est.

§. III. Quibus notum est, familiam ex pluribus societibus primis simplicibus componi, illi nobiscum pro veritate Generis in definienda Societate maritali a nobis assumpti pugnabunt, quia potissimum e Societate conjugalii & herili familia constiuitur. Simplex autem illa dicitur societas, quam aut duabus personis plures non ingrediuntur, ut in Societate maritali, quae coniunctione maris & feminæ tantem absolyitur; aut si personæ dualitatem, ut ita loqui liceat, excedunt, simplex tamen inter illas observetur respectus unius ad alterum, relati ad correlatum, liberorum scilicet ad parentes, & parentum ad liberos in paterna; heri ad servos, & servorum ad heros in herili societate.

§. IV. Differentia definitionis, quam Venerando nostro Preceptoris & Hosti obseruantur colendo, Excellentiss. Dn. CHRIST. ROEHRENSEE. (g.) debemus, ex primit tum subjectum, quod sunt mas & femina, quorum unum absquæ altero generationem & matrimonium absolvere nequit; tum finem, qui potissimum in procreatione & educatione sobolis ad vitam & virtutem civilem; postea quoque in mutuo adjutorio, ut alter alteri permutua

(e) In Prud. Oecon. disp. I. Ged. bab. 1643. tb. 20. (f) Lin. Phil. Civ. P. II. c. 3. (g) In prælect. publ. Oecon. MSC. P. I. Art. I.

tua officia succurrat, consistit; tum causam efficientem, quæ partim Naturam, tam naturantem DEum, conjugii Autorem & Institutorem sapientissimum, quam naturam, appetitum hominis naturalem, quo impelli se patitur homo ad procreationem sibi similis; partim ad consensum personarum se conjungentium, eorundemque parentum respicit; tum formam, quæ in indissolubili conjugum consociatione physica & morali latet, tum denique fundamentum, imperium maritale divina institutione munatum.

§. V. Quæ omnia ubiorem mererentur explicatiōne, si instituti nostri ratio id ferret, cum jam nobis non animus sit, societatis maritalis naturam delineare, sed ex societate nuptiali ea tantum repetere, quæ scopo nostro commode applicari poterunt.

CONSECT. I.

E. Societas maritalis est naturalis.

SCHOLION.

§. I.

ITa ex definitione nostra concludimus, atque assertum hoc multis ratiociniis stabilimus, tum quod generatim omnes societas a natura sint, tum speciatim societas conjugalis.

§. II. Si majorum nostrorum monumenta evolvimus, varias Variorum de societatum origine sententias reperimus; Ita enim de Epicuro CICE R.O (h.) testatur, eum existimasse, homines atomorum instar fortuito confluisse; alii admiraculum quoddam recurrent, eoque hominum inter se coetum congregatum fuisse afferunt, quando homines igne primum conspecto, tanquam ad miracu-

B

lum

(h) L. i. de Nat. Deor.



lum concurrisse scribit VITRUVIUS, (i.) a BARTHOL.
KECKERMANNO (k.) citatus, atque initio quidem
perterritos, deinde vero, intellecto caloris ex igne com-
modo, revocasse animos, atque communia ad ignem ex-
struxisse domicilia, eaque incoluisse. Qui PLATONIS,
contra quem ARISTOTELES (l.) & CICERO
(m.) disputat, opinionem fovent, illi homines indigentia
ac necessitate adductos iniisse inter se societatem defend-
unt; qui cum BODINO (n.) sentiunt, illi Imperia ac
Respublicas vi primum coaluisse opinantur; qui THO-
MAE HOBESIO (o.) subserbunt, illi homines ob-
mutuum metum convenisse statuunt; Immo ipse CICE-
RO in male sentientium numerum trahendus esset, quod
in laudanda Eloquentia nimium paulo elatus (p.) homi-
num in campis & sylvis, bestiarum more antea oberran-
tium multitudinem, varie dissipata, beneficio Eloquenti-
æ imprimis collectam scripsiterit, nisi id fortassis innue-
re voluerit, homini a natura impertitum esse sermonem,
societatis colendæ causa, adeoque ut vim sermonis ur-
geret, per Eloquentiam eosdem ad societatem pellectos
esse dixerit, cum alio loco (q.) aperte professus fuerit,
homines per naturam instinctu quodam tacito ad soci-
etatem esse impulsos. Si Poetæ tam statuisse quam finxisse
dicerentur, res in propatulo esset, OVIDIUM (r.) in ea
fuisse opinione, quasi ad coeli injurias primi convenerint
mortales; HORATIUM (s.) autem defendisse, quod
Musica deliniti in unum coire coepissent. Verum de his
perplacet nobis HORNII judicium, (t.) quod adscribe-
re

- (i) L. 1. c. 2. de Architect. (k) In precogn. System. Polit. (l) L. 4.
Polit. c. 4. (m) L. 1. de Offic. (n) L. 1. de Rep. c. 6. (o)
De Civ. c. 1. th. 2. (p) L. 1. de Oratore. (q) L. 1. de Offic.
(r) L. 1. Metamorph. (s) L. de Art. Poet. v. 396. (t) L. 1.
de Civit. c. 4.

re lubet: *Veritatem originum*, inquit, *ego nunquam ab hac gente petierim, cui professionis sue lege injunctum est, fictitia, aut similia veris comminisci.* Mentiuntur Poete, impo-
nunt Oratores; tum maxime, ubi discipline sua quisque afferit principatum.

§. III. Coeterum infirmo immo nullo omnes illi ni-
tuntur fundamento, cum potius origo societatum a
DEO & natura sit repetenda, atque firmiter statuendum,
DEum omnipotentem per hanc cunctis mortalibus sti-
mulum quandam ad illas expertendas indidisse & quasi im-
plantasse. Testatur id appetitus & naturalis hominum
inclinatio, quæ impellit omnes & incitat, nisi qui vitio vel
morbi, ut melancholici, vel morum, ut scelerati, consorti-
um humanum fugiunt, ut se aliis associent, iisdem coha-
bitent, conversentur atque amicitias cum illis ineant so-
ciales.

§. IV. Illa enim est naturæ humanæ conditio, ut per-
petua solitudine homini nihil sit tristius, nihil incommo-
dius, nihil denique inconsolius. Non jam sententiam
nostram divino corroborabimus judicio, (u.) quando ipse
DEus in prima mox hominis creatione, etiam in statu
integritatis malum homini esse prævidebat, si in soli-
tudine sine socia vitam degeret; sed ipsa humanæ ratio-
nis vis satis probat, hominem parum a bestiis abfutu-
rum, nec multo cultiorem aut commodiorem vitam
acturum, ni in societate sui simillium versaretur: Nam in-
signia illa Dei dona, quibus alias homines a brutis distin-
gyuntur, Ratio & Oratio, omni suo caritura essent usu &
fructu, nisi in societatem coire hominum, natura nos jus-
fisset, cum tamen DEus & natura nihil fecerint frustra,
sed quæcunque nobis indiderunt, ad peculiarem quoque

finem destinarunt; atque in hunc finem concessa nobis sunt
a providentissimo Parente haec divinae clementiae munera, ut beneficio illorum cum aliis conversaremur, societatem aleremus, sociisque animi nostri sensa articulato quodam sono exponeremus. Sic enim natura nobis inesse desiderium sciendi, & homines omnes, eo quod sunt homines, h.e. rationales ac cognoscendi facultate praeditos, cognoscere desiderare, quivis ex se animadverteret; quod tamen desiderium votumque expleri non posset, si solitariae & remoti ab omni confortio hominum aliorum viveremus; hinc ille loquelæ usus maxime ad satiandum nostrum sciendi appetitum confert, qua ex causa quoque SAM. PUFFENDORFFII (x.) nobis judicium arriet, societati contrahendæ nullum aptius instrumentum sermonे esse, existimantis, cui addi meretur JO. LUD. PRASCHIUS (y.) lingvam hominis, instrumentum appellans *societate*.

§. V. Quid si porro dicerem, statum hominum in solitudine degentium, belluino vivendi genere futurum fuisse multo deteriorem? Bestiis enim victum ubivis obvium terra exposuit, sed quæ homini esurienti congruunt, industriam plerumque & cultum desiderant, qui cultus necessarium cum aliis hominibus confortium, mutuamque opem prærequirit; quæ res vel ex innata infantum imbecillitate clarius elucet, quibus vix anni aliquot sufficiunt ad id, ut sibi ipsis de victu & amictu prospicere queant; quo ipso etiam inductus mihi videtur esse ATHENAEUS (z.) quando initio homines ob artem coquinariam convenisse refert.

§. VI. Plures rationes ex naturali temperamento, solitudini

(x) *ELEM. JURISPR. UNIVERS. L. II. obs. 3.* (y) *Philosophem. de Bono Cive* §. 7. (z) *L. 4. Δειπνοσοφ.*

litudini adverso, a tædio & horrore ejusdem, ab obligatio-
ne hominis secundum Jus Naturæ in alios naturali, peti-
tas, non cumulabimus, contenti, quod ad majorem senten-
tia nostræ de Origine societatum naturali illustrationem,
eandem etiam consensu veterum Ethnicorum Sapientum
confirmare possimus, TULLII (aa) scilicet, *hominem
ad civilem societatem natum esse*, & alio loco (bb) *natura
aptum ad catus, concilia & civitates scribentis*, & SENE-
CAE (cc) *homines in universum omnes ad coetum esse ge-
nitos* farentis. De recentiorum Philosophorum testimo-
niis plane nihil addimus, cum omnium fere Juris Natu-
ræ Commentatorum assensis pro nobis militet, nisi quod
magni alias nominis, magnorumque meritorum Vir
HUGO GROTIUS (dd) dissentire videatur, quando
homines *non DEI quidem præcepto, sed sponte adductos ex-
perimento infirmitatis in societatem civilem corvissé* asserit,
refutatus propterea a JO. FELDENO & JO. HENR.
BOECLERO, (ee) qui societatem civilem non esse
meri placiti, sed a natura venisse, hocque Grotianum effa-
tum non exhaustire rem, neque satisfacere naturali socie-
tatis appetentiæ, agnoscunt.

§. VII. Quæ omnia, quemadmodum de societate in
communi considerata, probata sunt, ita optime etiam de
societate maritali speciatim dicuntur. Provocamus hicul-
terius ad ingeneratam omnium, non hominum solum,
sed animantium cupidinem procreandi & conservandi su-
um genus; ad innatum omnibus amorem mutantum inter
generantes & generatos; ad secretos denique illos & ma-
xime naturales amoris inter utrumque sexum igniculos,
quos quilibet apud se sentit, atque una animadvertisit, ad

B 3

sedan-

(aa) L. i. de Leg. (bb) L. 3. de Fin. (cc) L. 2. de Ira c. 31.
(dd) L. 1. de J. B. & P. c. 4. §. 7. (ee) In commentat.
Grot.

sedandos eosdem, votorumque coeterorum finem consequendum, necessarium maxime esse, ut arctiori quadam societate & conjunctione illi copulentur, quorum alter sine altero in hoc negotio esse non potest, mas scilicet & femina. Huc facit acutum SENECAE (ff.) judicium, sic scribentis : *Membra sumus magni corporis, Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eadem gigneret. Hac nobis amorem indidit mutuum & socialibus fecit.* Nascitur ergo quilibet jam focius, in societate, a socialibus, & haec societas prae aliis eeu Mater & Conservatrix, vel ut PUFFENDORFFII (gg.) & CHRIST. THOMASII, (hh.) verbis utar, *totius socialis vite fundamentum* merito aestimanda est.

CONSECT. II.

E. Imperium Maritale ortum habet divinum.

SCHOLION.

§. I.

Aggredimur rem, tum propter materiae sublimitatem, tum propter Dissidentium autoritatem valde arduam. Lubet tamen interim proposito nostro insistere, idemque ex rationis principiis, testimonio S. Codicis firmatis, nec minus autoritate, quam tamen ad rei veritatem alias non sufficere arbitramur, Magnorum Virorum, imprimis vero *Excellentiss. nostri Preceptoris Dn. ROEHRENSEE,* (i.) *cujus ductui atque institutioni, quicquid humeri possunt, debemus, quemque filiali semper obsequio prosecuturi sumus, corroboratis, ulterius deducere;* eo quidem ordine, quo primo sententiarum in hac re divortia indcabili-

(ff) Epist. 95. (gg) L. 6. de J. N. & G. c. 1. §. 7. (hh) L. III. Jurispr. div. c. II. §. 48. (ii) In pralett. MSC. publ. de Soc. humana 1703. hab.

cabimus, postmodum autem remotis alienis, eam quæ potissimum ad veritatem proxime accedat, probabimus.

§. II. Rejicimus ergo primo omnium illorum doctrinam, qui imperium hoc maritale derivare allaborarunt vel a majore quadam præstantia morum & ingenii, qua maritus præ femina naturaliter pollere dicitur; vel a physica corporum inæqualitate, quod robustiores mulieribus mares esse soleant: *Quam naturalem sexus prærogativam strenue propugnavit ex veteribus ARISTOTELES*, (kk.) cuius sententiae summa eo tendit, quod dignus indigniori imperio natura, adeoque cum femina sit natura imperfectior viro, necessario etiam viri subjaceat imperio. Philosophi vestigiis insistit inter recentiores HENNINGUS ARNISAEUS, (ll.) qui *ex lege & ordine naturae mulierem semper esse deteriorem, minusque iis dotibus instructam, quibus ditatos esse oportet eos, qui imperium cum fructu sint gesturi*, asserit. Consentit cum his JAC. THOMASIUS; (mm) & quod illorum opinio etiam apud GROTIUM (nn.) applausum meruerit, exinde colligi potest, quia cum confociatione confrahentium nuptias, & qui ex hac venit, mutuo consensu, in indicanda potestatis maritalis origine, etiam sexus differentiam conjugit. *Confociatio, inquit, maxime naturalis in conjugio appetet: sed ob sexus differentiam imperium non est communne, sed maritus uxoris caput.*

§. III. Sed habemus, quod communi huic Peripateticorum sententiae obvertamus: cui generatim universale quoddam Philosophorum axioma opponimus, quod qualitas naturalis ex se vi destituatur producendi moralem,

tum
(kk) L. 8. Etib. ad Nicom. c. 13. & l. 1. Polit. c. V. XII. XIII. (ll)
In doctr. Polit. c. 3. p. 60. & de Jur. Connub. c. VII. Sec. I.
§. 3. sqq. (mm) Phil. Praef. Tab. XXXIV. (nn) L. II
de J. B. & P. c. V. Th. 8.

tum propter diversa, ex quibus deducuntur, principia, tum
propter multas & innumeris, quas patitur hæc regula in-
stantias; hinc optime rem absolvere mihi videntur, quæ
speciatim ad Aristotelis argumenta reposuerant HORNI-
US (oo.) & Plur. Rev. Dn. ROSTEUSCHERUS, Theol.
Ged. (pp.) probantes utrique, si robur corporis alicui
jus conferat imperandi, omnes fere rusticos quadratos
aliquando regni scepta obtenturos esse; si vero ad dotes
animi insigniores respiciendum, earundemque splendo-
rem causam potestatis continere afferendum sit, sequi
exinde necessario, quod injuste & contra naturæ legem,
obedientium ordini hodie plurimi adscribantur, quos ta-
men civili prudentia & imperandi peritia saepissime præ
Regibus instructos esse videmus. Militat certe hæc de
virtute corporis in acquirenda maritali potestate institu-
tio, pro illo ridiculo periculique plenissimo modo obti-
nendi imperium conjugale, quem apud Sacas quondam
in usu fuisse testatur AELIANUS: (qq.) ubi, qui puellam
uxorem ducere cupiebat, pugnam cum ea suscipere te-
nebatur, hoc exitu, ut, qui victoriam ex certamine reporta-
ret, imperium obtineret, qui autem succumberet, se re-
gi pateretur. Dispositioni ergo animi vel corporis apti-
tudinem ad imperandum non dubiam facimus, sed suffi-
cere eandem ad id, ut homo in alium imperet, quod celeb.
alias JO. CHRISTOPH. BECCMANNUS asserere
non dubitavit, (rr.) hoc omnibus modis inficiamus, quia
ab aptitudine, ad actuale imperii exercitium non satis ido-
nee inferri arbitror. Vid. consentiens PUFFENDORF-
FIUS. (ss.) Quod reliquum est, licet viros prudentia re-
gnandi

(oo) *Polit. Arbitr. L. 1. c. 1. §. 8.* (pp) *Disp. de Orig. potest. domest.*
Ged. 1687. bab. (qq) L. 12. var. bisbor. c. 38. (rr) Medit.
Polit. c. 6. p. 82. (ss) De J. N. & G. L. 6. c. 1. §. 9.

gnandi communiter feminis superiores præstantioresque
esse libentes agnoscamus; cuius rei tamen fundamen-
tum non tam in natura, quam consuetudine, cum Dn.
JO. GEORG. PRITIO, (tt.) & educatione, cum Dn. JO.
FRANC. BUDDEO, (uu) latere putamus: illud interim
Philosopho concedere non possumus, *feminam semper na-
tura imperfectorem viro esse*. Virtutum enim campus o-
mni humano animo patet; Naturæ liberalitas tanta est, ut
propter sexum neminem excludat; Uterque sexus suo
præditus est decore, & majores soepius dotes apud Fe-
minas reperiuntur, quam quis sibi imaginari potest. Con-
firmant sententiam meam exempla, quæ tum ex S. Scri-
ptura, tum ex Historicorum profanorum monumentis,
adduci possunt. Si ergo prudentiam requiris domesti-
cam, respice A B I G A I L E M, (xx.) stultitiam viri sui Na-
balis, iniquissime pauperi Davidis militi stipem de sua a-
bundantia recusantis, prudenti consilio excusantem, rui-
namque domui suæ imminentem, feliciter avertentem.
Si in administrandis imperiis prudentiam, in hostibus
avertendis & debellandis, animi præsentiam exposcis, fi-
dem habe S. Codici, insignes DEBOR A E Prophetissæ,
(yy.) & Reginae Arabiae, Salomonis Hosptis (zz.) laudes
efferenti; Cui ignotum, quanta fortitudine extiterit illa
Assyriorum Regina, SEMIRAMIS? de qua JUSTINUS
scribit, eam Indiæ bellum intulisse, quo præter illam & Ale-
xandrum M. nemo intraverat. (aaa.) Si in consiliis sup-
peditandis sagacitatem, in exequendis solertiam & felici-
tatem postulas, JUDITHA (bbb.) exemplo tibi esse pote-
rit, quæ id, quod vis ac ferrum non poterat, prudenti for-
rit.

C tique

(tt) *Dissert. de prerogat. sexus Mascul. pre Femin.* Lips. 1695. hab.
§. 18. (uu) *Elem. Phil. Prall. c. 2. Scil. III. §. 16.* (xx)
1. Sam. XXV. (yy) *Jud. IV.* (zz) 1. Reg. X. (aaa)
Hiß. l. 1. c. 2. (bbb) *Judith. XIII.*

tique suo animo præsttit. Denique pleni Scriptorum libri sunt, plenæ Sapientum voces de virtutibus ELISABETHÆ, Angliæ Reginæ, ad cuius tempora respicientes Angli, GEORG. HORNIO (ccc.) teste, *nunquam fuisse feliciorem Angliam, quam ea regnante, profitentur.* Vitam ejus descripsit Batavorum lingva nuperime GREGORIUS LETI. (ddd.) Et quid antiqua memoro? quem fugit, quanta cum felicitate Angliæ regno hodie adhuc præfit post gloriofissimi GUILIELMI III. obitum *Augusta Regina ANNA?* Si ad ingenii vim provocas, reputa tecum, quantæ literato orbi, ut recentiorum laudes tantum attingam, ANNA MARIA SCHURMANNIA, CORNELIA VOSSIA, ANNA FABRI, HENR. CATHARINA FRISIA, hujusque Filia CAROLA JUSTINA GERSDORFFIA, cum aliis admirationi sint. (eee.) Si morum laudem propugnas, nulli dubitamus, quin sexum hunc, ut elegantiorem, ita moratiorem quoque imprimis hoc elegantiarum studiosissimo Seculo, jure appellare queamus, cum certe in honesto cum illis consortio, mores virorum optime expoliri posse sentiamus. Si denique robur corporis desideras, licet hoc ad præstantiam alicui præ altero conferendam, nihil faciat, experire quæso vires, & committe te pugnæ cum mulieribus quibusdam publicæ, cuius exitus tibi acta probabit.

§. IV. ARNISAEQ; speciatim adhuc quædam regerenda sunt, quando non solum ex Lege naturæ universali, quæ universas creaturas, tam rationales quam irrationalies complectitur, quamque alias una voce naturam, ipse Adversarius ordinem naturæ vocavit, sed etiam

(ccc) *Orb. Polit. de Regn. n. 3. §. 4. p. m. 92. Lugd. edit. 1667.*
(ddd) *In het Leven van Elisabeth Koniginne van Engeland Hag. Com. 1690. gvo.* (eee) *De quibus lege Junckerum & Schultetum cit. in prefat.*

etiam ex Lege Naturæ particulari, quam per Legem
divinam definimus, menti humanæ naturaliter insitam,
& principia suggesterentem practica, quibus actus honestus
præcipitur, turpis vetatur, thesin suam deduci posse ar-
bitratur. Ita enim expressa ejus verba leguntur : *Ex le-
ge & ordine naturæ mulier semper est deterior.* Item : *Natura
fecit mulieres imbecilliores, quo a natura subjectionis sue ad-
monerentur ; Jus enim naturæ est, ut dignior imperet ; in
quo ultimo consentientem habet D A N. HEINSIUM.*
(fff.) De universali sexus virilis præstantia ex ordine na-
turæ, quoisque illa admittenda sit, §. antec. evictum est ;
jam illa restant expedienda : *an ex lege naturæ particulari
mulier semper sit deterior ? & utrum juris naturæ preceptum
sit, ut dignior imperet ?* Utrumque negandum esse censeo ;
Illud quidem, quia femina æque ac vir ad imaginem di-
vinam condita, postea ex ipsa viri costa creata, ex carne
adeoque ejusdem formata, omnibus quibus ille a divina
benignitate in Paradiso beneficiis dotata, deinde eadem
quoque cum viro fata experta, iisdemque pœnis onerata
est ; Denique omnia illa J. N. præcepta, quæ moralitatem
actuum feminæ indicant, etiam facta viri sub censuram
revocant, deque illorum bonitate aut turpitudine senti-
entiam ferunt. Ad hoc vero inficiandum commoveor,
quia ex hypothesi ARNISAEI concludendum foret,
modum acquirendi regnum aliquod jure primogenitu-
ræ & per successionem, adversari principiis naturæ Legis,
si frater succedentis, aut alius ejusdem familie agnatus,
immo privatus etiam & subditus, fortitudine bellique
meritis, innata ad imperandum aptitudine, optimis vir-
tutum Regiarum moribus, aliisque insignioribus dotibus,
hunc haereditarium Principem, quod særissime evenit,

C 2 fupe-

(fff) In Epist. ad Georg. Richterum, anno 1711 Orat. p. 512.

superet, eumque antecellat; de cuius rei iustitia tamen optime nos edocuit magnus GROTIUS, (ggg.) cum suis Commentatoribus.

§. V. Excipere vero videtur Antagonista doctissimus, *ipsa bruta animalia, ex quorum inclinatione Jcti jus naturae bestiarum volunt, scintillulas non obscuras feminas observantie secum circumstare*. Sed novos errores prodit celeberr. alias Vir, nam imperii potestas, rationem, quibus bruta destituantur, prærequirit, in bestialem naturam plane non cadit, adeoque ab omni imperio, ceu re divinissima excludendas esse omnes bestias docet. Velle autem ex inclinacione brutorum naturali J. N. principia derivare, hoc est tam inconveniens, quam quod inconvenientissimum, quia bruta ob intellectus defectum, ad actum moralem ejusque rectitudinem necessarii, nunquam principiorum moralium subiecta esse possunt; qua de controversia leg. HORNITUS. (hhh.) De Jctis, ad quos provocat, longe aliter nos sentire jubet, *Magnif. & Jctis. Viri Dn. JOACHIMI HOPPII, Cos. Ged. Patroni & e sacro baptismatis fonte Suscep- roris nostri, sancte semper obseruantque colendi informatio*, (iii.) dum inter propriam & impropriam J. N. apud LL. peritos acceptiōem distingvit, & hanc ab Imperat. licet minus recte intendi, nos instituit. De dotib⁹ ad regnandum requisitis, quibus carere dicuntur feminæ, quæ supra dixi, ea jam autoritate PLATONIS (kkk.) & TACITI (III.) confirmabo, quorum ille virtutum omnium, quarum capax est mas, capacem & feminam assentitur; & hic prudenter, robur animi, & vires reliquas non exultare ab hoc sexu ait. Cetera ARNISAEI argumenta, ex Antiquitate Romanorum petitæ, plane nihil probant, sed tantum illustrare hypothesin videntur, ideoque responsionem non merentur.

(ggg) *L. II. de J. B. & P. c. VII. (hhh) Tract. de subiecto Jur. Nat. c. II. sqq. (iii) Comment. ad pr. I. de Jur. Nat. (kkk.) L. V. de Rep. (III) L. 6. Annal.*

AB:154566

ULB Halle
003 120 163


3



5b.

Vd 17 VD 18





4

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,
FRIDERICO AVGVSTO,
DE
**GYNÆCOCRATIA
MARITALI,**
Ex Oeconomicis,
Ad Diem XII. April. A.C. M. DCCIV.
H. L. Q. C.
PRÆSES
M. GOTTLIEBUS SCHELGVIGIUS
ET RESPONDENS
NATHANIEL VVOLFFIUS,
Gedanenses,
DISPV TATIONE PRIORI,
different.

VITEMBERGAE,
Prelo CHRISTIANI GERDESII.